



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE ESSE MORTALES BEATA MARIA VIRGO
FATIMENSIS PATRONA DIOECESIS**

FRANCISCOPOLITANAE (IN ARGENTINA) COMPROBATUR;

S. FRANCISCUS ASSISIENSIS, PATRONUS URBIS CAPITIS EIUSDEM DIOECESIS Ad

perpetuam rei memoriam. – Esse mortales in hoc terrestri itinere innumeris obnoxios periculis, atque idcirco egere eos, praeter quam quod cauta prudentia, etiam sanctorum caelitem ope, id et omnibus Christifidelibus persuasum est, et maxime illis cognitum, qui divina dispositione in Ecclesia praesunt, id est Episcopis: omnibus enim usu fere cotidiano sciunt experti, quam prони ad mala sint homines, quantaque difficultate recte vivant. Qua motus consideratione Venerabilis Frater Augustinus Adolfus Herrera, Episcopus Franciscopopolitanus, id ab Apostolica Sede petiit, ut beatissimam Virginem Mariam Fatimensem, quam populus illius regionis summa pietate prosequitur, ceu Patronam dioecesis confirmaret, S. Franciscum vero Assisiensem, cui cathedrale templum dicatum est, Patronum civitatis vulgo «San Francisco», quos clerus populusque tales elegissent, ipse probavisset, ad normam nempe Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis, n. 30; Nos, explorato omnia fuisse ad iuris leges peracta, ac rati posse hoc beneficium nonnihil animos, fluxarum rerum amore raptos, ad aeterna erigere quae non pereunt, admotis praecibus libenter concedimus. Quo re, iis probatis, quae Sacra Congregatio pro Cultu Divino de re censuit, factis olim a Nobis potestatibus, placet beatissimam Virginem Fatimensem esse et haberi dioecesis Franciscopolitanae Patronam, S. Franciscum autem Assisiensem Patronum civitatis eiusdem dioecesis capitum, factis scilicet iuribus et privilegiis Liturgicis consequentibus. Quod tum sacro Praesuli, tum eius gregi sit felix. Contrariis nihil obstantibus. *Daturo Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Ianuarii, anno MDCCCCLXXV, Pontificatus Nostri septimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1985 - Libreria Editrice Vaticana
